



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 74. Quomodo peccet, qui jurat habens consuetudinem jurandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

- 270 Q. 73. Si Cajus subordinet Titium Procuratorem, ut pro se falsò juret, uter illorum sit perjurus vel incurrat pœnas perjurii. R. Silvest. putat utrumque esse perjurum, sed solum Cajum incurrere pœnas perjurii: *Texeda* apud *Dian.* P. 10. T. 14. R. 13. dicit solum Titium esse perjurum, & solum incurrere pœnas perjurii: videtur dicendum, quòd uterque sit perjurus, Cajus moraliter & mediatè, quia mandavit, Titius physicè & immediatè, quia executus est, ita *Sanch.* l. 3. c. 13. n. 26. *Dicast.* d. 3. n. 442. & alii: pœnas autem incurret solus Titius, quia hæ cadunt in eum, qui propriè perjurium ponit, hic autem solus Titius propriè jurat, & consequenter pejerat, qui physicè ipsemet & immediatè id facit, ideòque peccatum solius Titii erit casus reservatus, v.g. in *Diecepsi Coloniensi*, in qua Episcopo reservatum est perjurium manifestum.
- 271 Q. 74. Quomodo peccet, qui jurat habens consuetudinem jurandi. R. §. 1. Si sit consuetudo jurandi non falsò, quamvis consuetudinem nunquam retractaverit, non peccat nisi venialiter, quia singula talia Juramenta sunt tantùm venialia, uti suppono, & consuetudo non aggravat mortaliter, licèt postea semper advertenter juret, ita *Castrop.* T. 14. d. 1. p. 9.
- 272 §. 2. Si fit consuetudo jurandi falsò, sed inadvertenter, quam non retractavit, si Juramenta, quæ nunc fiunt, non proficiscantur ab illa consuetudine sed ex passione vel subito motu, uti processissent, licèt non adfuisset consuetudo, non erit mortale, quia neque in se, neque in causa sunt plenè voluntaria, causa enim eorum non est consuetudo, sed alius motus plenam rationem prævertens, ita *S. Th. in 3. Dist. 39. a. 5. in O.* Et ad *Annib. L. 3. Dist. 39. q. 1. art. 1. O.* *Suar. Sanch. Cajet. v. Perjurium, Castrop.*

Castrop. aliique cum Dicast. D.2. n.170. contra malos, quos referunt Dicast. & Dian. P.10. T.14. R.13. Vid. Vind. Tab. in Collectan. ad Prop.12. Requiritur autem plenam deliberationem ad mortale, probabitur Lib.5. Num.216.

§. 3. Si proficiscantur ex consuetudine²⁷³ non retractata, quamvis planè inadvertenter fiant, non erunt quidem in se peccata, uti dicitur Lib.5. à n.15, cùm non sint formaliter libera, erunt tamen peccata in causa seu in voluntate, quam jurans habet, non removendi consuetudinem, ita *Sanch. L.3.c.5. à n.28. Castrop. n.5. aliique multi cum Dian. P.3. T.5. R.62; putatque Suar. L.3.c.8. n.6. utile fore talem non absolvi, si admonitus non emendet consuetudinem, Sanch. tamen L.2.c.32. num.45. Castrop. n.6. & Burgh. Cent.1. Cas.3. contra multos alios apud Dicast. n.197. putant posse absolvi, quia dispositus est, & absolutio non est necessariò neganda vel differenda, quando peccata non pendent ex occasione extrinseca, quæ amoveri debeat, sed tantùm ex intrinseca fragilitate relabentis, uti hic fit; imò *Dicast. n.214. dicit non posse licitè negari absolutionem tali Consuetudinario, quia consuetudo illa non est aliquid voluntarium, quod possit à se repellere, sed est aliquid naturaliter relictum post actus, quod etiam non magis est occasio proxima peccandi, quàm inclinatio naturalis, de qua tamen expellenda non tenemur habere voluntatem: unde notat Diana supra, quando Authores dicunt non absolvendum eum, qui ex consuetudine relabatur, intelligendos esse, si relabatur advertenter, alioquin enim non peccat per relapsus: an autem & quomodo talia, quæ inadvertenter ex consuetudine sequuntur, sint confitenda, dicemus Lib. VI. T.4. c.1. ad d.3.**